



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ivdicivm Philippi Melanthonis De Controversia Coenae Domini

Melanchthon, Philipp

Ratisponae, 1560

VD16 M 3533

Scholia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29449

dum vt in alijs similib. fidei prædicationib. nec inuesti-
gamus, nec inuestigandum esse dicimus: Ne Caperna-
tarum Cinglianorum, & Hæreticorum similes fiamus,
ridentium cum Cinglianis: Quomodo hic potest suam
nobis carnem manducandam dare? Quomodo etiam po-
test Pater, Filius & Spiritus S. vnus esse Deus? Deus &
homo vnus esse Christus? &c.

(H) VBIQVITATEM) Aliud est corpus
Christi vbiq; esse in Coena, aliud est extra Coenam esse
vbiq;.

(I) PORTENTOSA) Bona verba, *Ir heil-
ligen leute/seid dem armen Schächer Christo
gnedig/* nec portenta facite, quæ vos ex verbis eius hîc
planè intelligitis.

T E X T V S.

NEgat Heshufius se adsentiri (K) Origeni, qui nomi-
nat panē & vinū *σύμβολα τῆς σώματος ἢ αἱματος.*
Reijcit contumeliose Clementem Alexandrinum: Pro-
nunciabit eodem modo de Augustino, Ambrosio, Pro-
spero, Dionysio, Tertulliano, Beda, Basilio, Nazianze-
no, qui nominat *ἀντίτυπον σῶμα*: Theodoretō, qui ait de
pane *φύσιν ἔ μεταβάλλον.*

S C H O L I A.

(K) ORIGENI.) Adducit phalangem anti-
quiss. & eruditissimorum Patrum, quos pro se citat, &
verba quædam annotat. Quid si autem illis, vti
Paulo,

Paulo, faciat? Tam profecto suam sententiam his
ipsis verbis Origenis, Nazianzeni, Theodoretis non pro-
bauerit, quod; Pauli verbis nunquam; probabit, aduersus Christi
verba. Nam quæ consequentia est ex Pauli verbis?

Panis est communicatio corporis Christi.

Ergo corpus Christi non adest.

Eadem propemodum & hæc ex Origene est.

Panis & Vinum sunt symbola corporis & sanguinis
Christi.

Ergo corpus Christi non adest.

Nos non absimili prorsus forma, Sacramentum
corporis & sanguinis Christi, cum vera eius presentia,
vfitate adhuc dicimus: *Et ἀντίτυπον σώμα*, corpus ex-
emplare, eadem nobiscum sententia ex Nazianzeno dici
potest, tametsi non est, quod plures loquendi improprie-
tates admittamus.

Panis naturam non mutari, nihil nobis in Theodo-
reto pugnat, mirabilem unionem corporis & panis,
salua vtriusque substantia, aduersus Papistas & Tropi-
stas magis confirmat.

Longe igitur alia tum testimonia, tum ar-
gumenta requiruntur, vt ipsos hosce Patres nobis
adhuc Cingianos faciat, etsi sua quidam

B 4 incom-

incommode dicta habent : Quæ reijcere Heshusio
hîc piaculum est, Philippo non est, Christiverba reijcere.
Nec tanta est Philippo autoritas horum ipsorum Pa-
trum, vt ipse eis assentiatur in omnib. Quod ipsi ergo
licitum hîc est, alijs ex eâdem causa, flagitium esse non
potest.

Sed vti dictum est, nondum sinimus hos ipsos Pa-
tres nobis facere Cinglianos : Berengarium ipsis Patrem
damus. Hos nostros esse volumus (etsi fidem in ipsis non
ponimus) q̄; diu non euicerint Cingliani, euidentiorib.
testimonijs & argumentis, esse suos. Nos ex ipsis, illis,
alijsq; vetustissimis, Iustino, Ignatio, Irenæo, Cypriano
& eorum similib., testimonia in promptu habemus, no-
biscû congruentia, de substantia et efficacia huius Sacra-
menti, quæ nō est huius loci, aut instituti iam enumerare.

Atqui congruentiæ huic & sententiæ, Augustanæ
etiam Confessionis propriæ, testimonium reddunt prius
nominatæ Patrum Sententiæ, collectæ à Philippo & edi-
tæ, & scripta per ipsum Apologia Augustanæ Cōfessio-
nis : In qua leguntur articulo decimo ipsa hæc verba.

Comperimus non tantum Rom. Ecclesiam affir-
mare CORPORALEM PRAESENTIAM Christi,
sed idem & nunc sentire, & olim sensisse Græcam Eccle-
siam, vt testatur Canon Missæ apud Græcos. Et addi-
tur testimonium ex Cyrillo :

Non negamus recta nos fide charitateq; sincera,
Christo SPIRITVALITER coniungi. Sed nullam no-
bis cōiunctionis rationem secundû CARNEM cum il-
lo esse, id profecto pernegamus, & á diuinis scripturis
omnino

omnino alienum dicimus. Et mox: Omnes vno pane
participamus: An fortasse putas ignotam nobis mysti-
cæ benedictionis virtutem esse? Quæ cum in nobis fit,
nonne CORPORALITER quoq; facit, communica-
tione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Item
considerandum inde est, NON HABITVDINE so-
lum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis
esse, verum etiam PARTICIPATIONE NATV-
RALI &c. Hæc Cyrillus.

Quid clarius etiam Vulgarij illo, aduersus ipsos
Cinglianos, vel dici, vel cogitari potest? οὐ γὰρ εἶπε,
τὸτο ἐστὶ σύμβολον: ἀλλὰ τὸτο μὲν πρὸ σώματος, δεικτικῶς,
ἵνα μὴ νομίση τις τύπον εἶναι τὰ φαινόμενα. Hoc est:
Non dixit Christus, hoc est symbolum, sed hoc est cor-
pus meum, demonstratiue, ne quis putaret, ea quæ cer-
nuntur, typum esse.

Quid item clarius Iustini illo, & Irenæi, qui tempo-
rib. Apostolorū proximi fuerunt? Iustinus Apolog. 2.
Non vt vulgarem panem, & vulgare poculum hæc su-
mimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus
Iesus Christus, seruator noster, carnem et sanguinem pro
salute nostra habuit: Sic etiam per verbum preactionis
& gratiarum actionis sacratam ab ipso alimoniam, quæ
mutata nutrit nostras carnes & sanguinem, illius incar-
nati IESV CARNEM & sanguinem esse didicimus.

Et Irenæus lib. 5. Quando & mixtus calix, & san-
ctus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia COR-
PORIS & sanguinis Christi, ex quib. augetur & confi-
sit CARNIS NOSTRAE substantia.

C Quod

Quod de mutatione, panis scz & vini Iustinus dicit, non dicit vt Papistæ, de transubstantiatione: Nec de ventris alimonia dicitur, vt Cingliani calumniantur & blasphemant, quod vterq; dicit de nutritione carnis nostræ, per corpus & sanguinem Christi in Eucharistia: Sed ta dicitur, vt discernatur hæc esca & poculum hoc ab alijs vsitatis escis & poculis: Nutritio hæc, qua viuificatur, augmentatur non tantum anima nostra, sed etiam corpus, ad vitam spiritualem & æternam, discernatur à nutritione Physica, quæ est ad vitam hanc corporalem & animale.

Itaq; Cingliani, vt non recte loquuntur ac sentiunt de substantia Cœnæ, ita nec satis de efficacia loqui possunt, vt Patres ex verbis Christi & Apostoli egregie locuti sunt

Nec finas tibi, Christiane lector, citatis nominib. aut vocib. Patrum hinc statim imponi: Et ut illis, ita ipsi nunc etiam Augustanæ Confessione, contra suam ipsorum conscientiam, communem hominum intelligētiam, mirabili impudentia, Cinglianam sententiam à quibusdam affingi, aut parum cauto etiam ingeri.

T E X T V S.

QVAE est igitur tanta authoritas (L) Heshusij, vt ipsi potius assentiamur, q; tot probatis veterib. Scriptorib. qui perspicue testantur tunc Ecclesiam non habuisse Pontificium dogma, (M) & adorationem: Quæ si noua (N) sunt in Ecclesia, cogitandum est an recentiorib. licuerit nouum dogma inuehere in Ecclesiam. Nec ego ignoro, multa citari notha (O) veterum titulis, de quib; eruditi iudicent, Autho-